

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0497

0495

0501

0491

483

Thuscia in valle quadam, ubi terra se aperuit et domum cuiusdam divitis cum omni substantia absorbuit, in loco tamen fovea profunda mansit in facti testimonium. Et in Legenda S. Benedicti habemus de quodam sancti viri adversario, quomodo subito solarium cecidit eumque extinxit. Sic etiam in vita beati Jeronymi, qui quasdam moniales correxerat propter simoniacam juvencularum receptionem, quae dum non emendarent, aperuit se terra et moniales cum monasterio absorpsit.

In tantam autem fatuitatem antiqui devenerunt, ut temporibus suis, sic nulli dubium, pro delictis absorptos pro diis colerent. Nam quidam dictus Amphiaraus gentilis vates dum a principe esset ad bellum Thebanum vocatus, oraculo accepit, si iret vivus, non rediret, unde in antrum se abscondit et nemini nisi uxori se manifestavit, uxor autem a quodam annulum accepit et virum prodidit. Dum autem vir ad bellum pergeret, subito immersus terrae nusquam comparuit; ob id antiqui a diis raptum putavere eumque inter deos recensuere. Sic etiam Melicertus et Yvo absorpti dii sunt facti precibus Veneris ad Neptunum porrectis. Puto, quod etiam in filiis Israel fuerit hic error; nam absorptis iniquis orta est gravis indignatio contra Moysen et Aaronem, dicentes eis: Vos interfecistis populum Domini; quasi meliores et sanctiores essent interfici. Sic et Romani Marcum Anilium divino cultu venerabantur pro eo, quod se praecipitem dedit in suae animae perpetuam damnationem. Nam tempore, quo natus fuit Alexander Magnus, in medio urbis Romae loco aperta est terra et vorago profundissima facta flamas ex profundo hiatus eructavit, super quem aliquis se praecipitet voluntarie in ipsum. Sed cum hoc nullus facere vellet, juvenis nobilis et lascivus Marcus Anilius se hoc facturum libenter obtulit hac conditione, ut per annum sineretur vivere secundum suam voluntatem. Quo sibi concessso toto anno rebus, uxoribus et filiabus Romanorum utebatur ad libitum et anno elapsu armatus sedens in nobilissimo equo laetus contra hiatus velocissimo cursu processit et insiliens vivus ad infernum ut Dathan et Abiram descendit et ruptura terrae complanata fuit.

31 \*

Ende

Anfang

